



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem. Arguit quod vocatus
ad se non venerit, sicut Ludouicus rex fecerat. monet sub
excommunicationis poena, vt sui regni finibus contentus nullam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

hac terra nullo modo regrediemur , priusquam , Deo auxiliante , percongrua & mutua vobiscum misceamus colloquia . Data ut supra .

EPISTOLA CXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Arguit quod vocatus ad se non venerit , sicut Ludouicus rex fecerat . monet sub excommunicationis poena , vt sui regni finibus contentus nullam Bosoni molestiam exhibeat .

Dilecto Carolo glorioſo regi .

SERVANS fidem Francorum regibus , secundum prædecessorum meorum pontificium , multos & duros labores in mari & in terra pertuli ; ab Vrbe & Romana sede in Franciam veni . omnes vos legatorum tam viua voce , quam epistolis studui conuocare , vt pactum quod aui & patres veltri sanctæ Romanæ ecclesiæ iureiurando promiserunt , adimplere contenderetis . Sed heu proh dolor ! cuncti venire per inobedientiam neglexistiſtis , præter Ludouicum regem diuæ memorię Caroli imperatoris filium , cuius conſilio atque hortatu Bosonem glorioſum principem , per adoptionis gratiam filium meum effeci ; vt ille in mundanis discursibus , nos libere in his , quæ ad Deum pertinent , vacare valeamus . Quapropter contenti termino regni vestri pacem & quietem habere studete : quia modo , & deinceps excommunicamus omnes , qui contra prædictum filium nostrum insurgere tentauerint . Data ut supra .

EPISTOLA CX X.

BERNARDI COMITIS EXCOMMUNICATIO.

BERNARDVM sacrilegum , filium Bernardi & Belihilidis , sacrarum rerum ecclesiasticarum peruersorem , regiaeque a Deo ordinatae potestati contradictorem , a proprio archiepiscopo Frotario , cui & ciuitatem , & omnia quæ habuit sustulit , tertio vocatum , a nostra autem apostolica auctoritate bis , & a regia sublimitate semel reuocatum , venire nolentem & in pertinacia sua permanentem : qui etiam ab hominibus suis sacramentum damnabile &

dam-